Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Joannis Nadasi, è Societate Jesu, Annus Caelestis, Jesu Regi, & Mariae Reginae, Sanctorum Omnium Sacer

Anni Caelestis Dies, & Festa Mobilia

Nádasi, János

Coloniae Ubiorum, 1667

4 Junii. Prid. Non. Junii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-53527

Visual Library

promicantes indè ſplendores vidiſti; auditâ denique Chriſti voce: *Surge, propera, amica mea!* in familiarem tibi ecſtaſim abrepta, visâ iterùm luce glorię, in illam ingreſſa es.

S. Crotildis Regina, cujus precibus vir tuus, Clodovæus Rex, ad Chriſtum converſus eſt.

OMNES SANCTI, &c. pag. 320.

S. MARIA, *quæ ſcriptis, hoc die, ad* Meſſanenſes *literis, benedictionem illis dediſti, & protectionem perpetuam promiſiſti. Benedic, & protege me ſemper; ut ſim viva epiſtola Dei mei! Sim epiſtola tua, ſim civitas tua. Exaudi me, Domina, hæc petentem; quia Meſſanenſis tuæ, à S. Lucâ pictæ, ac* à literis *dictæ, imaginis vetuſta è Græco inſcriptio eſt:* Mater Dei, velox ad audiendum!

4 J*unii.* *Prid. Non. Junii.*

SAncte Quirine Episc. cujus carcerem cæleſti fulgore illuſtravit Deus: qui deinde, Deum è corde tuo nullis eximendum ſuppliciis, confeſſus, ab eodem te didiciſſe dixiſti, mortem pro immortalitate contemnere; qui cùm fuſtibus cæderis, negabas te dolorem ullum ſentire;

ſentire; &, *Verè*, ajebas, *modò ſacerdotio fungor, ſi me ipſum Deo vero ſacrificium obtulero.* qui in primam Pannoniam ductus, ad Præſidem Amantium, cùm ibi Chriſtianæ fœminæ cibum tibi potúmque offerrent, & tu ab iis oblata benediceres, catenæ de tuis pedibus ac manibus ceciderunt; tu verò, ſumpto cibo, *Sabariam* es perductus; ubi ligato ad collum ſaxo molari, in flumen datus es præceps. Ora pro me, ut me ſacrificem Deo meo vivo & vero. Ora, ut nulla creatura è corde meo eximat Deum! ut propter Deum, & vitâ, & morte contemptis, ita moriar, ut in moriente corde meo ſe inveniat Deus meus, & ſe cor meum in Deo meo inveniat, in æternitate meâ. Amen.

SS. Areti, & Daciane, Martyres.

S. Clatee Ep. M.

S. Rutile, & ſocii, in Pannoniâ MM.

S. Saturnina V. M. quæ reſciſſum tuum caput manibus portâſti.

Sancti Metrophanes, Optate, Alexander, Epiſcopi.

S. Benedicte Patriarcha, cui oranti hoc die Angelus de felici filiorum tuorum vitâ & morte, Dei nominé, mira & magna promiſit.

S. Gual-

S. Gualteri, cum ſtellâ in humero nate; qui cæleſti voce monitus, parentes fugiſti, eoſdémque ad tui poſtea imitationem traxiſti.

OMNES SANCTI, &c. pag. 320.

S. MARIA, *cujus hodie, & cras, feſtum* de Victoriâ *celebratur. Vince me; ut vincam me, & triumphes in me!*

5 Junii. Nonis Junii.

SAncte Bonifaci M. qui poſt turpes, cum Aglaide dominâ tuâ, divite ac nobili, amores, ab eâdem caſtè ac religiosè ſapere didiciſti; & ab eâdem, ad colligendas Martyrum reliquias, miſſus, illorum exemplis accenſus, ideóque tentus, cum de nomine interrogareris, reſpondiſti: *Primum mihi nomen, & quo maximè vocari gaudeo, eſt, Chriſtianus.* Tùm præceps ſuſpenſus, carne ad oſſa uſque laceratâ, defixis ſub ungues arundinibus cruciatus, oculos defigebas in cælum. Deinde fervente plumbo tibi in os infuſo, in bullientis picis lebete ab Angelo conſervatus illæſus, aliis, qui adſtabant, effuſo divinitùs indè igne correptis, capite truncatus fudiſti